



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egrae, 1687**

Philippica 29. in cornupetas hircos, seu vindictæ cupidos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](#)

care decrevit propter illius importunitatem subjungit: *Filius hominis veniens putas fidē inveniet in terra?* quod erat dicere: ut fides non desit oratio non desit. Sermoni de oratione sermonem de fide conjunxit, ait Theophylactus apud Cornelium, qui omnis orationis basis & fundamentum est fides. declarans insuper paucorum fore tunc orare, quoniam fides in paucis invenietur. Ele-gantiū Divus Augustinus tract. 36. de verbis Domini, quicunque finio: ergo ut oremus, credamus, & ut ipsa non deficiat fides, quā oramus, oremus. fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Et-

enim nē in temptationibus deficeret fides, propterea Dominus ait: vigilate & orate, nē intretis in temptationem. Quid est in temptationem intrare, nisi à fide exire? in tantum enim temptation proficit, in quantum fides deficit. & in tantum temptation deficit, in quantum fides proficit. hæc Augustinus, oremus ergo ut credamus, credamus autem vivaciter, ut eō efficacius oremus.



## PHILIPPICA XXIX.

In cornupetas hircos.

DOMINICA II. POST PASCHA.

*Cognosco oves meas. Ioannis 10. v. 14.*

S.1.  
Nullum  
animal si-  
milium ho-  
minis, quā  
orig.



Ristoteles lib. 6. animal. c. 19. censet hominem vix alteri animali comparari rectius posse, quam ovi, homo enim sicut

pascua deducendas. Nolo inenumerandis hædorum proprietatis prolixus esse, cornu duntaxat arripiam, insanos vindictæ impetus impetam, & in nomine Domini hoc cornu ventilabo.

§.2.  
Hædi sym-  
bolum sicut  
cupidora  
vindictæ.

ovis inermis nascitur, ijsdem morbis quibus ovis infestatur, vitam brevem sicut ovis sortitur, facile sicut ovis à recto deviat & exerrat, denique eodem ferè modo sicut ovis regitur. Aristotelis sententiam incarnata confirmat Sapientia, dum electos suos ovibus, se Pastori in hodierno comparat Evangelio. At multi in ovili Christi sunt, qui malunt hædi esse, quam oves, hædorum mores exprimunt, & vitam vivunt, et si non ignorant, hædos à sinistris judicij die constituros, atque in æternæ macellum mortis cogendos; oves vero ad æterna

V.2

Hædi ad confiscandum & pugnandum animantibus cæteris propensiores symbolum eorum hominum referunt, qui in litibus vivunt, in rancore, in vindictæ appetitu etiam animam agunt; et si misses dicant se ignoscere, & offendam omnem penitus delere, verba sunt, fuci sunt, sit verbo venia, hircis omnibus olentiora menda sunt: tam difficulter sua ponent odia, quam hædi cornua, siquidem totam suam gloriam, quietem, vitam in eo repomunt, ut ultiōrem fumant, & mortem adversario sic inferant, ut sentiat se mori. vide pilosum Esau

Gen.

Gen. 27. turgidum Amanem Esth. 5. Energumenum Saulem , incorrigilem Pharaonem, reprobum Antiochum ; an non solatium , gloriam , vitam in eo reponunt , ut adversarios perdant, et si unà perdendi sint, sicut navis incendiaria perditur , ut alijs noceat : *rumpor & ulciscor.* sicut Eleazarus Machabæus elephante occidit, sed à mole cadentis obtritus est: *peream, dum perimam.* vel sicut vespa aculeum infigit , sed unà vitam perdit : *dum vulnero, funeror.* Fabula an historia, narrat dormitatem & noctitatem in navi pastorem impetum ab hirco fuisse, quem is præ impatientia in mare deturbavit, exilientibusque mox cœteris hædis & ovibus totius jastram gregis fecit ; ita se suaque perdunt, qui injurias remittere nesciunt.

S. 3.  
Præ vindictæ cupidine nec vita, nec orcus p. satur.

Tanta vindictæ rabies in multis est, ut dicant, nec mortem, nec infernum se pensi habere; dummodo vindictam de hostibus sumant, & temporalem ijs mortem inferant, amaritudinem mortis dulcorat dulcedo ultionis, proh vesaniam ! proh venenū ! proh obcœcationem ! Philippum Regem Macedoniæ læserat lethaliter Pausanias, supervenit agonizanti Regi Alexander filius , & cœdis authorem unà adduxit, inque manum Philippi gladium immittens manu suâ manum Patris impulit ad Pausaniam transfigendum , quo occiso exclamavit Philippus: nunc libens morior , quia morior non inultus, ita obiit, & ad hircos abiit , quem sequuntur omnes vindictæ cupidi , de quibus Ezechiel c. 32. v. 27. descendunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis , imò in capitibus suis quibus pro cornibus ad arietandum in se mutuò utantur. Hannibal novennis pulverem in terra excitavit,

juravitque non se destitûrum ab odio & bello Romanis inferendo, donec vel ipse , vel Roma in similem eat pulvrem. Simile odium Saulis in Davidem fuit , hinc illa Davidis in manus Dei se resignantis querimonia: *persequatur inimicus animam meam, & conculcat in terra vitam meam, & gloriam meam in pulvrem dederat* pl. 7. v. 9. Scivit enim Cithaœdus sanctus non destitutum Saulem à vindictæ cupidine , donec alteruter incineraretur. Crudelius adhuc odium Judæorum fuit in Christum( hircorum in agnum ) quibus non sufficiebat Christū occidisse, nisi viderent ad pulvrem redactum, atque idcirco custodiri sepulchrum petierunt, lapidem signarunt , custodes apposuerunt , ut exanime corpus redigeretur in cineres , sub quibus scilicet cineribus ignem odijs sui alerent. Justinian⁹ Imperator, uti narrat ad annum 702. Baronius, truncatus erat naribus , ejectusque in exilium, è quo cum redditum per mare maturaret spe recuperandi imperij illeetus , ecce tibi ingens repente tempestas oritur , inque proximum vitæ discriminem classis tota adducitur. hic amicorum aliquis Cæsarem monet : votum concipiatur ignoscendi inimicis, si evaserit periculum , & receperit imperium ; quid ad hæc Justinianus ? Deus me perdat & hoc loco mergat, si hostibus ego meis pepercero. Nō potuit mare totum Cæsaris iram cōpescere, tam vehemens hic ignis est, ardens usq; ad inferni novissima , omnemque salutis spem penitus exurens. Hirum egit Esau , quia hir quis fratrem oculis ferè semper intuebatur: semper oderat Jacob pro benedictione, quā benedixerat ei Pater, ideoque hirus mansit, nec in ovem abiit, ersi balatum ovium edidisset: *non enim invenit poenitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.* Hebr. Gen. 27. v. 41. 12.

12. v. 17. faciant quidquid volunt cornupetæ hædi, in mortes & mæcella pro Christo ruant, non tamen locum gratiæ invenient; si veniam integrimè non faveant adversariis suis, ut in Sapritio patuit, qui licet immania pro Christo tormenta pertulerit, & jam cervicem gladio subjecerit, quia tamen Nicephoro reconciliari noluit, martyri palmam, fidem, salutemque perdidit. Inexpiabilis culpa discordiæ, inquit Cyprianus de simplicit. Praelat: *inexpiabilis culpa discordiæ, nec passione purgatur, nam occidi talis potest, coronari non potest.*

§. 4.  
Per cupiditatem vindictæ seducit diabolus, quos alia via non poterit.

Define à furore o homo, si homo es, vindictam enim immortalem in caput tuum provocas, dum mortalem cogitas ultiōrem, exosus Deo & hominibus redderis, dum tui amore amens odium foves inimici, inferno proximus hæres, si à vindictæ spiritu non recedis. Quod diabolus hominem perducere non valet ullâ aliâ arte, plerumque per ultiōnis spiritum impellit, ut sūsque deque rationem, conscientiam, famam, virtutem, vitam, omnia habeat, dummodo explere suos possit furores. Cum Hannibal elephantes suos per Rhodanum fluvium traducere non posset, ut narrat Decade 3. l. 1. Livius, vulnerari unum aliquem fecit, is autem, qui vulnerârat, insilire mox in Rhodanum, & transnare jussus est, ut eâ arte vulneratum & vindictæ ardoribus correptum elephantem ad sequendum provocaret, quod & cessit è voto. ita dæmon cupiditate vindictæ inducit seducitque homines, quos nullo alio scelere pervertere potuisset. Nunquam Ægyptij ausi fuissent mare ingredi, nisi vindictæ rabie arsissent. *dixit inimicus persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea &c. Exodi 15.* ita intrant Ægyptij hodiē-

que multi mare scelerum, mare amaritudinum, mare mortis & damnationis propter ultiōrem inimicorum. sed *flavit spiritus tuus, & operuit eos mare.* Nunquam non naufragantur qui crucis vehiculâ ( in qua dilectio docetur ) non vehuntur; nunquam portum salutis & misericordiæ affequuntur, qui adversarios nunquam non perseguuntur. Crudeles sunt in seipso, qui clementes esse nolunt in hostem, hunc enim cum lædunt, conscientiam suam saudant, Deum ad iram provocant, Iesu crucifixo vulnera renovant, sponsæ ejus Ecclesiæ pupillam vulnerant, & citius hanc vulnerant quam hostem. sapienter proinde Chrysostomus monuit homil. 4. in Ephes. *nemo injuria sit memor, nisi velit seipsum lædere.*

Narrat Diodorus Siculus lib. 2. patrem nescio quem, cum è tribus unicū hæberet legitimū filium, duos spurious, præ his illum scripsisse hæredem. à morte lis nascitur, quis legitimus? qui spuri? definit novus Salomon litem, ut is hæreditatem adiret, qui proprius cordi paterno sagittam fixisset. Sinè mora spurijs sagittas expediunt, in cor patris collimant, jaculantur; at legitimus ingemiscens ad hoc spectaculum exclamat: absit, ut ego cor patris mei vulnerem, habeant hæreditatem, adeant possessionē, vivant pro libitu, mori ego malo, quam vel mortuum vulnerare. germanus hic erat filius hæreditate dignissimus, quam & obtinuit spurijs exclusis, & ad mendicitatis peram redactis. Vix certius signum est nos patris æterni esse filios filij Dei fratres ac discipulos, Spiritus Sancti corcula & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, quam si sagittis vindictæ abstineamus, easque in cor Christi mortui non ejacule-

§. 5.  
Vindictæ  
cupidi co-  
figunt  
Christo  
cor.

## PHILIPPICA XXIX.

cullemur, quis jaculatur in cor Christi? dicet iracundus, ego hostem petto, non Christum, o infelix peccator, tu tu latus Salvatoris saucias, quoties vindictam foli Dei propriam (*mibi vindictam & ego retribuam* Rom. 12.) in corde tuo cogitas. an nescis omnibus vindictae cupidis per Malachiam dictum esse: *quia vos configitis me, c. 3. v. 8.* non potest laedi Christianus, quin laedatur Christus. O si vel Aegyptijs pares effemus, de quibus scribit Polianus lib. 7. quod Cambyses contra eosdem præliaturus, in primâ acie collocârit ea animalia, quæ scivit ab Aegyptijs pro deastris haberi, putafeles, crocodilos &c. quo spectaculo territi aegyptij petiere pacem, nè Deos suos laederent. o Christiane ante hostem tuum Crucifixum non vides, non audis clamantem: *quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti, & furere pergis?* parcunt aegyptij cani, tu nec Deo vivo & vero? an non exprobrare tibi potuerit: non fecisti me tati, quanti canem aegyptij! ingens heu tua confusio & justa damnatio. Magi ex pæsto diabolico jaculantur in imaginem Crucifixi, eoque momento tangunt, vulnerant, enecant hominem, quem ferire intendunt, et si centum aut mille milliaribus absit. hæc facit magus per maleficium, quid ego de te christiane dicam, qui laedo linguâ, calamo; manu inimicum, prius semper feris Christum, plusquam maleficus es.

**§.6.**  
Historia  
horrida.  
Quid? quod vesanus iste furor non in corpus modò & vitam, sed animam ipsam & saltitem adversarij desæviat, nec satis habeat, si pereat, nisi bis pereat & pereat æternum. Accidit ætate nostrâ apud Allobroges, ut ipsâ paschatis die reginâ dierum, ex phrasî Nazianzeni, miles præsidarius è regno Neapolitano cum alio gentili suo

graves exercens simulantes, tandem post aliquam ex parte adversarij reconciliationis simulatae speciem pœnitentiæ & Eucharistiae sacramenta adserit. Domum redux inimicum obyium habuit armatus inermem, quem renunciare Christo & Deum ejurare jubet, nisi confodi illicet velit, ejurat miser & Christo cœloque valedicit, quod ubi perfecisset, ab hoste impio sicâ in pectore transfigitur acclamante illo & exultante: o factum bene uno iœtu corpus & animam inimici perdidi! o perdita rabies! o furor maleditus! o diabolica perversitas! Jam non dicam hominem homini lupum, sed dæmonem & quidquid nequius dæmone dici potest. Sævit dæmon in animam non in corpus, sæviunt bestiæ in corpus, non in animam; iñanis autem iste latro in animam pariter ac corpus sæviens, an non efferatissimis belluis truculentior, & pessimis dæmonibus malignior censer potest? at quid militi tantoper succenso, quod ferreis cornibus præditus hircum egerit, religiosum & quidem Sacerdotem recogito milite & dæmone omnino truculentiores. Vir nobilis & militaris grave odium adversus alterum conceperat, quod tamen subdueto ex oculis & provincia adversario utcunque sopitum, & nobilis ille afflante Numinе religiosæ vitæ authoratus, finitòque cum laude tyrocinio Sacerdotij honoribus initiatus est, haud ita brevi tempore contigit, ut Parisijs inter operandum in templo, quod ad plateam regiam est, cum non satis sacerdos iste custodire oculos, adstantem ad aram videret illum, qui cum inimicitias in sæculo aliquando aluerat. quo asperitu veluti transfixo concepit dolorem, mox pariturus iniquitatem. reaccenso enim validissimo odiorum igne,

gne, cūm primūm ab altari absces-  
fit, & sacras vestes posuit, nihil non  
movit, ut sciret, ubi hostis ageret? ut  
rēsc̄it, conquisitis clām armis &  
abjectā religiosā veste profanam in-  
dūit, pérque posticum cōenobij e-  
gressus hostem convenit, duellum  
indixit. stupuit alter & ipse militaris  
hominem, qui paulo antē sacrificā-  
rat, & pacem omnibus precatus  
fuerat, ad duellum provocare. pro  
usu tamen sāculi & torrente malae  
consuetudinis provocationem ad-  
misit, in campum processit, init  
duellum. defunt verba, quibus tam  
atrox tam immane facinus conclā-  
mem! sācularis qui provocatus  
fuerat dimicans cum Sacerdote re-  
ligioso, ab hoc confoditur, & vita  
corporis pariter animaq; in mor-  
tali scelere prostratus exiuit. ò Ca-  
in innocens, ò Juda juste, ò Saul  
sancte, ò Herodes mansvete, ò dia-  
bole innoxie, si vos ego cum hoc  
sacerdote, sacrilego inquam homi-  
cida conferam! verbis destitui me  
omnino confiteor, quibus congrue  
inauditum hoc scelus detester & ex-  
equer. abrumpo dictiōnem, & u-  
nicuique concludendum permitto,  
quām verè maledictus iste furor ap-  
pellari debeat peccatum non hu-  
manum, sed plusquām bellūnum  
ac diabolicum, prævaricatio aeter-  
na, & flagitorum in Spiritum San-  
ctum tanquam authorem pacis ac  
clementiæ comitti solitorum præ-  
cipuum, de quo supremus iudex  
Matth. 12. pronuntiat: non remittetur ei neque  
7.32. in hoc sāculo, neque in futuro.

Attollite itaque in altum cor-  
nua vestra & coniscate ultionum  
avidi, at scitote non tam aduersus  
hostes vestros, quām contra illum  
vos insurgere, qui ultionum Domi-  
nus est, & cornua in manibus ejus,  
ut cornua peccatorum confringat,  
habet divinus agnus contra cor-  
nupetas hircos cornua septem, &  
oculos septem, ut qui inter oves  
experiri noluerunt cornu salutis &  
clementiæ, sentiant cornua aeterna-  
turi rigoris atque vindictæ. Si ultio  
septuplo dabitur de Cain, quia in-  
noxium Abel occidit, de Lamech  
verò septuagies septies, quia Cai-  
num interemit, proh quanta eos  
manet ultio, qui in lege gratiæ, post  
tot divinæ experimenta misericor-  
diæ, post diluvium sanguinis Chri-  
sti & toties iterata de injuriarum re-  
missione præcepta fratrem nihilo-  
minus suum oderunt, & odioendo  
homicidæ fuerunt. Desperet D E I  
clementiam, qui inimico suo indul-  
gere noluerit veniam; desperet sta-  
tionem die novissimo inter agnos,  
qui cornua vindictæ jaētavit inter  
hædos; desperet de favore cœli,  
qui furorem æmulatus est inferni,  
ite cornutæ bestiæ! ite infernales  
furiæ! ite maledicti hædi in macel-  
lum aeternæ mortis, stagnum  
sulphuris, in cornua in-  
fernaliū unicorni-  
um ite.

§7.  
Hujusmo-  
di hædi in  
cornua a-  
gni inci-  
dunt.

